



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Scriptorvm Religionis Societatis Iesv Catalogvs

Ribadeneyra, Pedro de

Antverpiæ, M. DC. VIII.

L.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68452](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68452)

habitam *Orationem in laudem S. HYACINTHI*, cum à CLEMENTE VIII. in SS. numerum referretur.

IULIVS PRISCIANENSIS, natione Italus, patria Florentinus, Ingolstadij in Sacrarum litterarum professionem Theodoro Peltano successit. Edidit Dilingæ, *Regulas D. Augustini, cum Commentariis doctissimis Umberti S. R. E. Cardinalis, & Hugonis de S. Victore.*

L.

LAMBERTVS AVER, natione Germanus, patria Papenbergensis ex comitatu Tirolensi, adolescens se CHRISTO in Societate nostra consecrauit; & Philosophicas & Theologicas scientias nostro in Collegio Romano didicit, easque in Academia Moguntina egregiè professus est: fuitque primus Collegij Moguntini Rector, Danieli Archiepiscopo mirum in modum gratus. Sed dum nomine Prouinciæ Rheni ad tertiam Congregationem Generalem proficiscitur, quæ anno salutis M. D. LXXIII. celebrata est, in eaque P. Euerardus Mercurianus quartus Præpositus Generalis electus, magno omnium dolore, vix finita electione, extinctus est. Erat enim vir humilis, deuotus, sincerus, & omnibus virtutibus ornatus: in quo splendebat maximè ardens DEI gloriæ zelus, & singulare ad hæreticos vel frenandos vel ad fidem Catholicam conuertendos studium, animique contentio. Scripsit eruditas *Affertiones Theologicas de Verbo DEI, & de Sanctis.*

LAVRENTIVS ARTVRVS, natione Anglus, in Germania cum versaretur, atque litteris nauaret

operam, animum applicuit ad nostram Societatem, in eaque prouincia artem dicendi, ac Philosophicas disciplinas, Romę verò Theologicas didicit, & confectis studiis in Poloniam missus, magnam toto in Poloniæ regno existimationem consecutus est ab insignis vitæ, probitatis, & præclaræ eruditionis opinione commotam. Lucubrationes quæ ab ipso litteris mandate prodierunt in lucem, hæ sunt:

De CHRISTI in terris Ecclesia, quanam, & penes quos existat.

Libri tres contra Antonium Sadeelum Calvinistã. Tractatus de controuersis inter Ordinem Ecclesiasticum & Sæcularem in Polonia, suppresso nomine Auctoris.

Apologia Thesium de Inuocatione Sanctorum, contra Danielem Tossanum Sacramentarium.

Apologia item Thesium oppugnationis Cœnæ Lutheranae & Calvinianæ contra eundem Tossanum.

Oratio habita in Synodo Petricouensi Prouinciali, de causis & remediis hereseôn.

Theses de variis Controuersis: videlicet,

De CHRISTI Ecclesia.

De D. Petri, & Romani Pontificis successoris eius in Ecclesia CHRISTI principatu.

De Sanctorum Inuocatione & Veneratione.

De Cœnæ Lutheranorum & Calvinistarum oppugnatione, & Catholica Eucharistia defensione.

Obiit Doctissimus Pater Vilnæ anno salutis M. D. XCI. cùm XXV. circiter annos religiosè pieq; in Societate exegisset.

LAVRENTIVS GILENVS. Scripsit,

De Vita æterna.

LAVRENTIVS MAZELLVS, natione Italus, patria

tria

tria Neapolitanus, scripsit Italicè volumen in signe
De vita B. VIRGINIS Matris DEI, continens
 quidquid haftenus ad eius memoriam & dignita-
 tem apud graues auctores reperiri potuit, cum

Vita S. IOSEPHI sponsi.

LEONARDVS LESSIVS, natione Belga, patria
 Brechtanus in Brabantia, vir cum reliquis scientiis,
 Graecis, Latinis, expolitus, tum maximè S. Theolo-
 giæ cognitione ornatissimus, quam plurimos annos
 in Academia Louaniensi magna cum laude & au-
 ditorum frequentia professus est. Eruditissimos
 quatuor libros emisit

*De Iustitia & Iure ceterisque Virtutibus Cardina-
 libus*: primùm Louanij, mox Parisiis excusos; nunc
 Plantinianis typis recudendos auctiores; valdè sa-
 nè probatos, multorumque manibus tritos. Reli-
 qua illius in D. Thomam breui expectamus.

LVCAS PINELLVS, natione Italus, patria Neapo-
 litanus, ex pueritia vix excefferat cum Societatem
 est ingressus, in qua & virtutes & litteras imbibit,
 Theologiam & Ingolstadij & Musiponti laudabi-
 liter professus est. Scripsit Italicè,

De statu animarum post hanc vitam.

Item,

*Gerson, sive de perfectione Religiosa, & de obligatione
 qua unusquisque Religiosus tenetur ad eam coparan-
 dam.* quem libellum verè aureum P. Iosephus Ar-
 riaga Hispanus è nostra item Societate ex Italica
 lingua in Hispanam conuertit, Belgicè verò reddi-
 dit Antuerpiæ Gisbertus Bahusius Carthusianus.

Item,

Meditationes deuotissimas B. MARIAE Virginis.

Meditationes breues sanctissimi Eucharistia Sa-

cramenti, & preparationē ad sanctam communionem, & aliarum rerum ad cultum sancti mysterij pertinentium.

De Missa sacrificio, eiusque fructibus.

De sacramento Pœnitentiæ.

Meditationes mysteriorum Rosarij. Item,

De Peccatis mortalibus, & de quatuor Nouissimis.

LVDOVICVS CRVCIVS, natione Lusitanus, patria Olyssiponensis, Conimbricæ nomen Societati dedit II. Decembris anni M. D. LVIII. ætatis verò XVI. homo ad Latinam eloquentiam & extemporalem natus, & Græcè Hebraicæque peritissimus; Poëta eximius, Cõcionator egregius; qui postquam dicendi artem & Sacras litteras permultos annos professus est, Latino atque eleganti versu

Davidis Psalmos c l. felicissimè expressit, ac typis mandauit.

Multas præterea *Tragœdias*, ac *Poëmata* varia scripsit. Excessit è vita Conimbricæ xviii. Iulij anni salutis M. DC. IV.

LVDOVICVS FROES, natione Lusitanus, multos iam annos in Iaponensi vinea excolenda feliciter ponit, atque insignis Concionatoris apud cæcas illas nationes munere fungitur; de quarum moribus, consuetudinibus, institutis, ritibus, ceterisque quæ ad Iaponiorum naturam, ingenium, ac Religionem pertinent, egregium volumen edidit.

LVDOVICVS GVZMAN, natione Hispanus, patria ex Osorno Castellæ veteris oppido, Diœcesis Palentinæ. Adolescens se in Academia Complutensi ad nostram Societatem adiunxit, anno salutis M. D. LXIII. cum iam Philosophiæ curriculo decurso, sacræ Theologiæ operam daret, quam postea

in

in Societate didicit atque excoluit. Absolutis bonarum artium studiis, magister Nouitiorum factus est, quos eximio virtutis exemplo, singulari prudentia, præclara rerum spiritualium cognitione, atque industria, ad perfectam religionis formam instituit. Rectoris deinceps sæpè munere, Prouincialis item Præpositi primùm Baticæ, tum etiam Toletanæ prouinciæ, semel atq; iterùm functus est. quo in munere vitam cum morte feliciter commutauit Madriti x. Ianuarij, anno salutis M. DC. V. Fuit vir omni genere virtutum cumulatus, & numeris omnibus absolutus. Humilitate, modestia, & affabilitate, orationis assiduitate, turbidorum motuum mortificatione, sui contemptu, silentio, mansuetudine, atque eodem semper tenore, & perpetua vitæ cōstantia excellens. Denique expressa quædam sanctitatis imago. Scripsit materno sermone,

Rerum à Societate in India gestarum lib. XIII. quibus initia, progressus, propagationem Christianæ Religionis, tum ceteris in Regionibus comprehendit, tum maximè in Iaponensi regno, & nostrorum labores, infidelium conuersiones, tyrannorum persecutiones, crebra & magna miracula, profanos idolorum ritus, varias & inter se discrepantes ac superstitiosas sectas, diuersos hominum mores ac consuetudines, facili ac sincero stylo perscribit.

LVDOVICVS FERRERIVS, natione Hispanus, patria Murcianus, ex oppido Carauaca, adolescentulus xviii. annorū cū esset, atq; humanioribus litteris nauaret operam, caelesti illustratus lumine, res sæculi prorsus abiicit, & Societatem nostram anno salutis M. D. LXXV. ingressus est: in qua pri-

mum ad nostrum institutum conformatus, tum grauioribus disciplinis in Collegio Complutensi expositus est. vbi, & in aliis item Collegiis nostræ Societatis, sacris confessionibus audiendis, domesticis ad profectum spirituales excitandis, externis ad pietatem omnisque virtutis studium adducendis, vtilem operam posuit. Transtulit ex Latina in Hispanicam linguam

Aureum P. *Francisci Costeri De Congregatione B. MARIE Virginis* libellum, in quo vitæ Christianæ institutiones traduntur. Item,

Eiusdem P. *Costeri Meditationes L. de eadem Beatissima VIRGINE.*

LVDOVICVS MACEBLIDIVS, natione Belga, patria Flander, populari sermone scripsit,

Paradisum Exercitationum & Precationum spiritualium, seu Exercitationum Capita decem, suppresso auctoris nomine semel iterumq; edita.

LVDOVICVS MOLINA, natione Hispanus, patria Conchenfis, vix adolescētiam ingressus cū XVIII. esset annorum, nomen CHRISTO in Societatem dedit, in qua Philosophicas ac Theologicas litteras feliciter didicit, & feliciter docuit in Eborensi regni Lusitaniæ Academia, vbi permultos annos primas inter Professores Theologos partes docēdo tenuit, & Aquinatem Thomam est interpretatus: postea animum ad stylum conuertit. Itaque scripsit perdoctos Commentarios

In primam partem D. Thomæ. Item,

De concordia Gratia & Liberi arbitrii librum singularem.

Appendicem ad eandem concordiam.

De Iustitia & Iure Tomos VI. partim Moguntia,

riæ, partim Antuerpiæ excusos Nutij typis. In quibus tantum eminet L V D O V I C I ingenium, tanta apparet Iuris Ciuilis comprehensio & dispositio, vt mirum sit hominem, qui in Theologicis studiis ab adolescentia totam pænè atatem contriuit, tantam consecutum fuisse Iuris scientiam, eamque tam exactè tradere potuisse. Reliquit etiam duos alios Tomos ad Iuris prudentiam pertinentes, sed quos limare & absoluerè morte intercepit non potuit. Excessit vir religiosissimus, & doctissimus Pater Madriti x 1. Octobris, anno salutis M. DC. ex dysenteria, annum agens LXV.

LVDOVICVS PONTANVS, natione Hispanus, patria Pincianus, ab ipsis incunabulis factus atq. educatus videtur ad pietatem. Societatem nostram expectiuit annum agens xx. atque admissus est anno salutis M. D. LXXV. cum iam & Philosophicis disciplinis esset instructus, & duos annos in sacra Theologia vtiliter posuisset. Deinde prosecutus est studia litterarum, in quibus longo post se interuallo condiscipulos omnes reliquit, propter ardorem animi, ingenium, atque acre iudicium. Itaque Aristotelis cursum (vt vocant) docendo confecit, & sacrâ etiam Theologiam professus est acutè, grauius, eruditè. Sed cum non minus vitæ integritate ac religione quàm ingenio atque doctrina excellat, Magistri nouitiorum atque Rectoris partes L V D O V I C O sæpè mandata sunt, easque peregre obiit: sed tenui, vel potiùs nulla valetudine, qua semper conflictabatur, coactus est interrumpere & gubernandi & docendi cursum, & animum ad ea scribenda transferre, quæ longo vsu, assidua meditatione, perpetua sui mortificatione didicit, & non tam ex aliorum li-

bris

bris hausit, quàm in se ipse expertus est. Scripsit
materna lingua pias, doctas, perutiles

Mysteriorum Fidei meditationes, quas duobus Tomis complexus est.

LVDOVICVS RICHOMIVS, natione Gallus, vir doctus, religiosus, disertus, & prudens, qui Prouinciam Aquitanix cum laude gubernauit. Scripsit materna lingua, in qua mirè excellit,

Peregrinum Lauretanũ, & *De peregrinationis bono.*

Defensionem peregrinationis aduersus interpretem Epistola Gregorij Nysseni, cum Tractatu *De sacris Reliquiis.*

De ratione migrandi ad meliorem vitam.

De Miraculis, Sanctis, atque Imaginibus.

B. VIRGINEM *inxta Crucem stantem.*

Figuras Eucharistix: ad Reginam Gallix.

Victoriam Veritatis contra Plesseum.

Epistolas ad Henricum IV. Regem Gallix.

Apologias aliquot pro Societate IESV aduersus calumnias hereticorum. Quarum vna ab And. Valaderio Latinè reddita est: altera Franc. Montani nomine inscripta exiit. Nuper

Idololatriam Huguenoticam libris VII. venustè exposuit.

LVDOVICVS ROGERIVS, natione Italus, patria Romanus. Scripsit,

Defensionem aduersus Matth. Dresserum hereticũ, pro operibus ROBERTI Cardinalis BELLARMINI.